

6.

DE
ANGINA POLYPOSA.
DISSERTATIO.

Cujus Partem Sextam;

APPROBANTE EXP. FAC. MED. ABOËNS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

NICOLAUS ABRAHAMUS URSIN,

*Phil. & Med. Doctor, Adjunct. Ord. & Anatomiae Pro-
sector, nec non Cancellista Imper. Coll. Med. Fennic.*

ET

FREDRICUS GUILIELMUS LINDEBÄCK,

*Satacundensis,
Stip. Archenh.*

In Audit. Jurid. die XVIII Maji MDCCCXXII.

b. p. m. s.

ABOÆ, Excudebant J. C. FRENCKELL & FIL.

АВСУДОЯ АИЛЫ

ОУКАЛЫСА

Албазинъ въ 1740 г.
Была въ земли сибирской
Коми и въ Уральскихъ горахъ
Создана Алтайская земля

Създана по бывшему землемѣру
Изъ земельъ Красноярской

Алтайская земля въ 1740 г.
Създана изъ земельъ Красноярской

Създана изъ земельъ Красноярской

inter initia ea dare; quia inflammationem tunc augere, & possunt ægrotantem facile præcipitare. Potissimum cum ex inopinato morbus irruit. Observare tamen oportet, ubi per longiores prodromos morbus semet indicat, protinus inter initia emetica cum magno ægrotantis emolumento adhiberi, quin etiam posse morbum in ipsis incunabulis reprimere.

Emetica vero inter, optime respondere *Ipecacuanha* solet; præsertim cum spasmi urgent. Sed Syrupo quodam involvenda est, ne pulvis, si Epiglottidem attingat, novos excitet spasmos. Utilis itaque mixtio est, quæ habet *Radicis Ipecacuanhæ* pulveratae scrupulum & *Syrupi Althææ* unciam, quibus, si lubet, adjici possunt *Vini Stibiati* drachmæ duæ. E quibus, quod cochlear parvulum implet, omni quinto temporis minuto primo, dari debet, donec vomitus fiat. Sed ut non omnibus ægris eadem auxilia convenient, scire quoque licet alia atque alia emetica interdum bene cœssisse. Laudatur itaque *Tartras Potasæ Stibiosus*, & quidem cum fauces minus irritet, quam *Ipecacuanha* ^{III}). Ex eo, quod granorum sex pondus habet, dari interdum horam intra oportet, priusquam respondet. Itemque *Vitriolum album*; ubi torpor adeat major. Cel. JOHN SMITH ¹¹²), postquam *Ipecacuanha* & Tartrate Potasæ Stibioso frustra ulus est, vomitum tandem ciebat, ægrotantemque servabat, mixtione, quæ ex his constat: *Tartratis Potasæ Stibiosi* granis octo & *Vitrioli albi* granis quindecim, in aquæ fontanæ sesqui uncia solutis. Ex quibus, quod duo cochlearia parvula implevit, horæ quadrante quoque dedit, do-

K

nec

^{III}) Vid. LENTIN, l. c. 3 B. p. 196.

¹¹²) Cfr. Samlung auserlesener Abhandlungen, 23 B. pag. 261.

nec responderit. Cel. SACHSE 113), tamquam rem, qua vomitoris optime succurritur, commendat, ut scopolis sedulo titilletur linguae apex.

Utile quoque esse consuevit *Balneum*; potissimum cum aliis Anginae Polyposae symptomatis spasmi crebri succedunt. At ut in nullo fere morbo major, quam in Angina Polyposa e frigore noxa potest oriiri, neque unquam facilius quam post balneum frigus nocet, sic balnea, ubi adhibeantur, adhibenda caute omnino sunt. Curiose quoque æger vestimentis post balneum involvendus est, ut ne ad eum frigus adspiret. Sed ut id, cum hoc & illuc plerumque semet jacent ægrotantes, fere non potest fieri, neque semper & undique prodest balneum.

Mitigata vero jam, post remotum vitæ periculum, morbi vi, nihil sane, ut nos quidem usus docuit, melius ad pristinam revocandam secundam valetudinem conduit, quam *Elixir Pectorale Regis Daniæ & Linctus*, qui habet *Syrupi e Radice Senegæ* partes tres, unamque partem *Syrupi e Gummi Ammoniaco*. Ex quibus, quandiu tussis continuat, tamdiu, ad methodum Cel. LENTIN 114), alterna quaque hora dari juvat.

Sed

113) Cfr. SACHSE, l. c. 2 Th. pag. 123.

114) Hæc Celimi LENTIN formula est:

Rc. Elix. Pector. Regis Dan. (Pharm. Wirtemberg.) drachm. ij

Dr. Sr. Decem ad quindecim guttae unaquaque vel altera quaque hora cum lincto sumenda

&

Rc. Syrup. e Rad. Senegæ unc. iiij

Syrup. Gummi Ammon. unc. j

Mr. Dr. Sr. Linctus, unde, quod duo cochlearia parvula implet,

unaquaque vel altera quaque hora cum Elixire dispensandum.

Videsis Klinisches Taschenbuch für praktische Aerzte von C. W. CONSERUCH, 5te Auflage, I. B. pag. 283.

Sed hæc de ejusmodi remediis, quæ, si quidem non semper, plerumque tamen ad Anginam profligandam Polyposam, sola sufficiunt. Jam vero de aliis, quæ aliter atque aliter auctores venditant, prout cuique cesterant.

Aquam gelidam Cel. MICHAËLIS 115) enixe commendat, existimans, optimum eam, ubi crebro & lente sorbilletur, esse remedium, ad minuendam non inflammationem solum, sed lymphæ quoque exsudationem. Recte autem, ut equidem putaverim, ne ea quis utatur, præmonet Cel. HOPFF 116).

Nitratum Potasæ Depuratum laudant Cel:mi HOME, JAHN, REIL, THILENIUS, SCHWILGUE, cæteri. Atque, ubi febris adest intenta magis, certe videtur posse cum fructu adhiberi, præmissis sanguinis detractionibus. Optime datur, ut Cel. SCHWILGUE 117) docet, in pastillis, qui habent Nitratis Potasæ Depurati partem, novemque partes Sacchari Albi, & Mucilaginis Gummi Tragacanthæ, quantum ad formandos pastillos satis sit. Præbendi vero ægrotantibus pastilli quam sæpiissime sunt.

Magnis encomiis, nec quidem sine ratione, a Cel. SACHSE 118) effertur *Murias Ammoniacæ Depuratus*, quem,

K 2

po-

115) Cfr. MICHAËLIS, I. c. pag. 207.

116) Cfr. HOPFF, I. c. pag. 100.

117) Vid. SACHSE, I. c. 2 Th. pag. 62.

118) Cfr. SACHSE, I. c. 2 Th. pag. 63, sqq.

potissimum cum diathesis adfuislet scrophulosa, constitutioque corporis debilitatem indicaslet, cum Senega, omisla sanguinis detractione, feliciter dedit. Ut optimum corrigens adhibuit Extractum Glyzyrrhizæ. Mixtura itaque usus est. quæ habuit Decocti Senegæ uncias quatuor, Muriatis Ammoniaeæ Depurati scrupulum atque Extracti Glyzyrrhizæ scrupula duo. Ex qua, quod dimidiam majoris cochlearis partem impleat, unaquaque hora dedit.

Utiles quoque sunt *calidi vapores* spiritu hauriendi. Etenim, cum stimulum aëris transgredientis minuant, partesque emollient, relaxentque tensionem, non possunt, quin inflammationi vim adimant præcipuam. Sed interdum fere impossibilis eorum usus est; præsertim cum teneri adhuc infantes, & minus intelligentes, id eorum fieri emolumento, hic & illuc semet jactant. Vaporibus Infusi Florum Sambuci Cel. HOPFF 119) usus est; Cel. vero THILENIUS 120) calidi lactis vel Infusi Althææ aut Malvæ, adjectis interdum bono cum fructu foliis Hypocrasami. Cel. REIL 121) vapores laudat lactis, in quo decoctus Daucus est.

Fomentationes e Cataplasmatibus emollientibus circa collum adhibitis commendant HOME, THILENIUS, WAHLBOM, CARRON, GOELIS, cæteri 122). At sunt fere minus efficaces, quam ut adversus morbum tanti ponderis opitulari possint.

Al-

119) Vid. HOPFF, l. c. pag. 105.

120) Cfr. THILENIUS, Medicinisch-Chirurgische Bemerkungen, p. 50.

121) Videbis SACHSE, l. c. 2 Th. pag. 70.

122) Cfr. SACHSE, l. c. 2 Th. pag. 71, sq.

Alvum *Clystere* immisso ducere cum laudant plerique, tum Cel. SACHSE 123), quem ex Aceto Vini parat, in Angina Polyposa præcipue commendat. Putat nempe eo modo optime posse vicariam in tubo intestinali provocari actionem, qua vero orta morbi in Trachea minui vim.

Ex *Antimonialibus*, quippe quia excernentes vias ista animent, absorbentemque Lymphaticorum Valorum vim præcipue excitent, optima quæque augurantur plerique. *Tartratem Potassa Stibiosum*, refractis partibus præbitum, laudibus effert maximis Cel. MAERKER 124). Fere autem solutam nimis Tartarus Emeticus reddit alvum. E *Sulphureto Stibioso cum Sulphure* optimum Cel. SACHSE 125) exspectat auxilium, ubi ea ejus portio datur, quæ naufragia, frequentesque faciat vomitiones.

Optima inter adversus Anginam Polyposam auxilia, imminuta vero jam inflammatione, *Senegam* numerant LENTIN, JOHN & THOMAS ARCHER, REIL, SACHSE; potissimum, ut Cel. SACHSE 126) monet, cum diathesis adeat scrophulosa, cum exsangues minusque vegeti infantes oculos habent languidos, cutem macram, pulsum mollem variumque, urinam non rufam sed dilutam magis & albam. Et quidem summo, ut videtur, cum jure. Nam fere specificie in Organa respirationis Senega agit, absorbentiumque Valorum excitat agendi vim. Adhibetur vero optime sub Decocci forma, aut Syrupi.

Cel.

123) Vid. SACHSE, I. c. 2 Th. pag. 128. sq.

124) Cfr. MAERKER, I. c. pag. 125.

125) Cfr. SACHSE, I. c. 2 Th. pag. 139. sq.

126) Videbis SACHSE, I. c. 2 Th. pag. 156.

Cel. LOEBEL 127) in Angina Polyposa Asthenica, quam vocat, *Radicem Daphnes Mezerei* optimam habet, observans ex hujus remedii usu urinam sudoremque moveri, symptomataque strangulantia considere. Optimo cum successu mixtura usus est, quæ habuit: Radicis Daphnes Mezerei scrupulum vel plus ad dimidiā drachmæ partem, cum Aquæ fontanæ unciis octo coctum ad residuum unciarum quatuor, quibus colatis additur Spiritus Nitri Dulcis semiscrupulum atque Syrupi Althææ semuncia. Ex his altera quaque, aut si necesse erat, unaquaque hora, quod dimidiā cochlearis partem vel integrum cochlear majus impleat, dedit.

Ubi spasticae affectiones aliis Anginæ Polyposæ symptomatibus crebræ interveniunt, præ antispasmodicis medicamentis omnibus Moschum commendant LENTIN, HARLES, HENKE, WIGAND, & ante alios omnes Cel. SACHSE 128). Neque male. Etenim fere non est aliud medicamentum, quod magis Organismum animet, cutis spasnum melius tollat, & sudorem e toto corpore citius eliciat, quam Moschus ille. Quapropter, ubi fracta jam inflammationis vis est, aut constitutio corporis parum robotis indicat, vel ubi respirationis organa vicariam pro impedita cutis functione sustinent actionem, ut in Morbillis, Scarlatina, cæteris, plerumque fit, & spasti subinde interveniunt, non omnino Moschus potest, quin optime respondeat. Cum Muriate Hydrargyrolo Miti conjunctum optime dederunt SACHSE, WIGAND, & quidem ad unum vel duo grana unaquaque hora.

Cam-

127) Cfr. LOEBEL, ueber Erkentniß u. Heilung der häftigen Bräune, des Millarischen Asthmas u. des Keuchhustens, Leipzig 1811, p. 91.

128) Cfr. SACHSE, I. c. 2 Th., pag. 174. sqq.

Camphoram, interne adhibitam, collaudant HOME, OLBERS, HUFELAND, MASIUS. Ex externo ejus usu magnam observavit utilitatem SACHSE 129). Laneum, cui inficata bene Camphora erat, thoraci superimposuit; quod in catarthalibus quoque affectionibus optimum ipse LENTIN jam habuit.

Sulphuretum Potasæ plenissime laudat Cel. SENFF. Experientia multoties edocitus huic medicamento majorem adhuc quam Mercurio tribuit vim & efficaciam exsudativam retardandi inflammationem 130), palmam ideoque præ cæteris adversus Anginam Polyposam præsidiis fere omnibus eadem desert. Pro diversa infantum ætate diversam hujus medicamenti præbet portionem; idque brevioribus longioribus temporis intervallis. Ægrotantibus ergo, qui annum nondum implerunt, altera quaque, vel tertia vel quarta quaque hora, a dimidio ad integrum dat granum. A primo ad quartum ætatis annum, granum ad grana duo cum dimidio propinat. A quarto vero ad octavum annum, duo ad tria dispensat grana. Sed potissimum, ut monet, attendendum est ad morbi vim; & quidem, ubi majus adeat periculum, majori portione, & brevioribus intervallis adhibendum medicamentum. Cum vero fere non sit aliud, quod saporem minus gratum habeat, quam Sulphuretum Potasæ, Celeberrimo SENFF multum omnino debemus, qui methodum vulgavit, qua sine magna admodum molestia illud adhiberi potest. Dispensatur ergo optime in lagunculis non majoribus, quam ut duabus vicibus possint hauriri, & qui-

129) Vid. SACHSE, l. c. 2 Th. pag. 193.

130) Cfr. SENFF, l. c. pag. 101.

quidem bene obturatis, ne aer, quippe medicamentum commutat, adveniat, saporemque reddat magis magisque ingratum. Opportunum quoque est, portionem, quæ jam sumenda sit, gummosæ cuidam admisceri solutioni 131). Isto medicamento nos semel usi sumus; & quamvis neque Mercurius neque Sulphuretum Potassæ ægrotum a morte liberare potuerit, mitigare tamen hoc videbatur & lenire cruciatus ægrotantis & angores.

Bronchotomiam svadent quidem HOME, CRAWFORD, MICHAËLIS, CHAUSSIER; sed dissvadent LENTIN, ALBERS, WIEUSSEUX, JAHN, HECKER, JONAS. Ut autem semper satius est, id quod ipse CELSUS jam bene monuit, aneps auxilium experiri quam nullum, sic quoque, ubi nullum aliud apparet auxilium, melius, ut nobis saltem videtur, ægrotantibus consulit, qui Bronchotomiam, utpote quæ ægrotantes aliquando salvos reddidit, experitur, quam is, qui animo abjectus ad ægrotantis lectum otiosus confidet, mortis benignam tantummodo implorans misericordiam.

131) Haec Cel:mi SENFF formulæ sunt:

Rc. Kali Sulphurati gr. xxij — semidrachm.

Aqua Rosarum sive Menthae Piper. semunc.

Mr. Filtr. Div. in vij partes æquales.

Dr. Sr. Ex eo, quod laguncula capit, dimidia pars sumenda altera vel tertia quaque hora.

Rc. Gummi Mimosæ drachm. vij.

Aqua Ceras. Nigr. unc. v.

Syrup. Cinnamomi fuscunc.

Mr. Dr. Sr. Quod cochlear majus implet, una cum præscripta solutionis e Kali Sulphurato portione, propinandum.